

AD LECTOREM,

DE QUINTO CURTIO RUFO.

Inter eruditos non convenit quisnam fuerit **QUINTUS CURTIUS RUFUS**, rerum ab Alexandro Magno gestarum scriptor eximius; an rhetor et causidicus de quo alicubi Suetonius meminit; an quæstor et prætor, et consul, cujus memoriam Tacitus ac Plinius junior posteris tradidère; an quilibet alius, omninò ignotus. Ubi monumenta desunt, ibi necesse est nos vel conjecturis operam dare, vel potius ignorantiam fateri, nec intempestivè velle videri eruditos. Nostrum igitur erit, qualiacumque Taciti Pliniique testimonia lectorum oculis et arbitrio subicere.

« De origine Curtii Ruffi, quem gladiatore genitum quidam
» prodidère, neque falsa prompserim, et vera exsequi pudet.
» Postquam adolevit, sectator quæstoris cui Africa obtige-
» rat, dum in oppido Adrumeto vacuis, per medium diei,
» porticibus secretus agit, oblata ei species muliebris ultrà
» modum humanum, et audita est vox: iterum eum Romam,
» honoresque gesturum, atque etiam cum sommo imperio in
» eandem provinciam reversurum, ibique moriturum. Facta
» sunt omnia. Digressus in urbem, acri ingenio quæsturam,
» et mox præturam, principis suffragio, assequitur; cum
» hisce verbis Tiberius dedecus natalitium ejus velavisset: »
« Curtius Rufus videretur mihi ex se natus. Longâ posthàc
« senectâ, consulare imperium triumphi insignia, ac postre-
« mò Africam obtinuit. Accedenti Carthaginem, egredienti-
» que nave, eadem figura in littore occurrisset narratur. Ipse